



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Oratio III. ad Spiritum sanctum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

tat; mundus sanitatem & vitam longam amat; charitas infirmitatem amplectitur, mortem non timet, vitam & sanguinem pro dilectis profundere non recusat. Hæc & non alia signa, sacratissima corporis & sanguinis tui perceptio in anima mea edere dignetur, ut gloriam tuam in hoc mundo propagem, & laudem coram te Deo meo & Angelis eximiam reportem. Amen.

Oratio III. ad Spiritum sanctum.

O Beatissime Spiritus! tu ardor es immensus, quo Pater & Filius mutuos in amores effervescent: tu halitus es, quo se afflant: complexus es, quo se amant: unio quâ se nectunt, nodus quo se stringunt, obsecro & obtestor te instantissimè, dum in hac sacra Synaxi cum Patre & Filio descendis in me & mansionem apud me facis, accende me, affla me, complectere me, necte & astringe me tibi, ut totus charitate divinâ inflammatus, recumunitus, ac unus spiritus effectus ut instrumentum gloriæ tuæ elever ad maxima in Christianis tepidis, hæreticis perveris, & infidelibus excæcatis perpetranda. Hoc

fine

me, velut olim Apostolos, primosque
 Christianos, per timorem me purga, li-
 quefac per pietatem, per fortitudinem
 consolida, per consilium ad cœlestia men-
 tem eleva, per scientiam exorna, per in-
 tellectum illumina, per sapientiam dul-
 cedine reple. Veni sancte Spiritus & tui
 amoris ignem in nobis accende! Veni ô
 Charitas! & totum me posside. Regna
 in me ô Charitas! gratia gratiarum, vir-
 tutum regina, operum sanctorum prin-
 cipium, radix meritorum, fons saliens in-
 vitam æternam. Hoc unicè oro, hoc peto
 per Jesum Christum, qui *ignem & Spiri-
 tum manducandum & bibendum nobis
 prestavit carne vestitis, corpus scilicet &
 sanguinem suum.* S. Ephrem. de Nat.
 Dei cap. 5.

Oratio ad B. V. Mariam.

O Virgo gratiosissima, charitate & Spi-
 ritus sancti donis plenissima; hunc
 tibi à Filio tuo omnis charitatis fonte fa-
 vorem impetra, ut ita me ad hoc sacrifi-
 cium peragendum & Spiritum sanctum
 recipiendum præparem, quemadmodum
 ad Spiritum sanctum in Pentecoste, &
 Filium